

plicet; nam revera faciunt quod Deo placet, quando faciunt quod Deus eos facit facere, et volunt quod Deus vult eos velle. Nec aliter volunt aut faciunt malitiam quam ipse Deus; non enim per se illam volunt aut intendunt, sed solum quatenus volunt actus seu objecta ex quibus illa resultat; at hoc modo etiam Deus vult et operatur malitiam, ut sæpe ostensum est; ergo illo etiam modo quo homini placet malitia (si tamen placet saltem interpretative), placet etiam Deo; ergo cum homo aliquid tale agit, nihil agit quod Deo displiceat, vel certe si per illam voluntatem Deo displicet, ipse etiam Deus agit quod sibi displicet; præterquam quod si homines ad has voluntates seu volitiones per divinam voluntatem, et motionem efficacem prædeterminantur, profecto magis Dei voluntatem quam suam facere dicendi sunt. Igitur omnibus his modis satis, ut existimo, declaratur quantum illa doctrina a Conciliorum sententiis ac definitionibus aliena sit.

## CAPUT XLVIII.

## EX PATRIBUS EADEM DOCTRINA CONFIRMATUR.

1. *Patrum testimonia non eludi communi distinctione peccati formalis et materialis.* — Quod sententia docens, Deum ex se prædefinire et prædeterminare actus malos, juxta Patrum doctrinam non subsistere possit, variis testimoniis confirmavi, l. 2 de Auxiliis, c. 2, quæ noviores Scriptores parvi pendunt, dicentes, Patres esse locutos de peccatis formaliter, non de actibus materialibus seu realibus peccatorum. Si autem considerantur rationes factæ, quibus probatum est respectu physicæ prædeterminationis vel antecedentis prædestinationis non posse illa duo separari, profecto testimonia Patrum urgentissima sunt, et notanda imprimis sunt quæ dicunt, *Deum non impellere ad furta, adulteria, et similia vitia.* Nam licet demus illas voces significare peccata formalia, nihilominus homo non impellitur ad illa, nisi quatenus ad materiales actus impellitur; multo autem magis est prædeterminari quam impelli. Et simili modo efficacia sunt testimonia Patrum, quæ negant Deum inducere aut trahere hominem ad peccandum, nam ut hæc sint vera de peccato formali, oportet etiam ut de actibus ipsis, quibus peccamus, vera sint, quia inductio et tractio ad peccandum, non fit inducendo et trahendo ad for-

malem malitiam, sed ad ipsum peccatum. Unde Damascenus dixit *hominem fieri malum propria animi et voluntatis suæ inductione*, utique non Dei; sic enim docent originem malorum actuum, non in Deum, sed in ipsum hominem ultimate reduci, quod verum non esset, si origo prima et causa faciens facere tales actus esset Deus, quia nos non facimus peccata, nisi faciendo tales actus; et ita sunt optima verba Gregorii Nysseni in Orat. catech., cap. 30, ubi postquam ostenderit vocationem Dei ad bonum de se generalem esse, concludit: *Nec enim par erat ut, gratia in communi proposita, is qui voluntarie ab ea abscesserit, non sibi, sed alii malam suam sortem adscriberet.* Sic etiam dixit Cyrillus, *non cadere hominem inexpugnabili Dei iudicio*; et Theodoretus: *Neque Deus Cain fecit homicidam.* Et ad hunc modum cætera ibi allegata satis, ut opinor, efficaciter induci possunt.

2. *Tertulliani testimonium urgetur.* — Adam vero nunc duo vel tria testimonia. Unum est Tertulliani, lib. de Exhort. castitat., c. 2, dicentis: *Non est bonæ ac solidæ fidei sic omnia ad Dei voluntatem referre, et ita adulari sibi unumquemque, dicendo nihil fieri sine jussione ejus, ut non intelligamus aliquid esse nobis ipsis. Cæterum excusabitur omne delictum, si contenderimus, nihil fieri a nobis sine Dei voluntate.* Quæ posteriora verba valde notanda sunt; nam loquendo proprie nihil fit a peccatore, cum peccat, nisi actus realis; malitia enim non proprie fit, sed consequitur: si autem homo non facit talem actum, nisi prædeterminatus a Deo, profecto nihil ab homine fit sine efficaci Dei voluntate beneplaciti, et prædeterminante; ergo excusabitur omne delictum. Unde concludit nobis relictam esse voluntatem eligendi alterum, et inducit locum Ecclesiast. 15, et adjungit: *Et ideo non debemus quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse et velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas cum malum volumus contra Dei voluntatem, qui bonum vult. Porro si queris unde veniat ista voluntas, qua quid volumus adversus Dei voluntatem, ut breviter dicam, ex nobis ipsis; et infra: Per voluntatis libertatem volens devertis in id quod Deus noluit.* Per quæ omnia ostendit ipsam etiam determinationem talis actus non esse Deo adscribendam, sed libertati creatæ voluntatis; cui consonant optime verba Bernardi, lib. de Grat. et lib. arbitr.: *Ut esset liberum arbitrium, creans gratia fecit; ut profi-*

*ciat, servans gratia fecit; ut deficiat, ipsum se dejicit.*

3. *Ambrosii verba.* — Alter locus est Ambrosii, lib. 1 Exaëmer, cap. 8: *Non igitur ab extraneis est nobis, quam a nobis ipsis, majus periculum. Intus est adversarius, intus auctor erroris, intus, inquam, clausus in nobismetipsis. Propositum tuum speculari, habitum tuæ mentis explora, excubias obtende adversus mentis tuæ cogitationes et animi cupiditates. Tu ipse es causa improbitatis, tu ipse duæ flagitiorum tuorum, atque incensor criminum. Quid alienam naturam accersis ad excusationem tuorum lapsuum? Utinam teipsum non impelleres, utinam non præcipitares, utinam non corrueres, aut studiis immoderatiorebus, aut indignatione, aut cupiditatibus, quæ nos innecos velut quibusdam retibus tenent.* In quibus multa expendi possunt. Primum quod ait, *non ab extraneis, etc.*; nam certe si a Dei prædeterminatione incipit lapsus, profecto ab extra venit, saltem quoad primum initium necessarium et efficax. Unde non haberet locum quod subdit: *Quid alienam naturam accersis ad tuam excusationem?* Quæ enim rationabilior excusatio, quam quæ ex Dei prædeterminatione sumeretur, si vera esset? Unde quod subdit: *Utinam teipsum non impelleres*, profecto supponit a Deo non impelli; nam si homo a Deo impulsus se impelleret, quid mirum? Aut cur excusabilis non est? Sed minus est, ut aiebam, præimpelli, quam prædeterminari, nam impulsui resisti posset, non autem prædeterminationi. Et ideo etiam ait hominem se præcipitare, utique solum, et non ab alio. Item dicit: *Tu tibi es duæ flagitiorum tuorum*, utique quoad ipsos actus reales concupiscentiæ, et similes, quod inferius magis declarat, dicens: *Ille cavenda quæ ex nostra voluntate prodeunt delicta juventutis, et irrationabiles passiones corporis. Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus, nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ proprie nostra sunt; quod enim possumus non facere, si nolumus, hujus electionem mali nobis potius debemus quam aliis adscribere.*

4. *Augustinus eripitur adversariis.* — Jam vero quoniam adversarii de Augustini auctoritate ita confidunt, ut suam sententiam expressam Augustini esse dicant, breviter ostendam illum aperte cum cæteris Patribus in hac veritate asserenda consentire, et immerito aliqua ejus verba in contrarium sensum detorqueri. Primum satis aperte colligitur ex libro primo de liber. Arbitr., capite undecimo,

ubi docet mentem nostram non fieri servam libidinis a superiori mente propter justitiam, neque ab inferiori propter infirmitatem, seu impotentiam ejus. Unde concludit: *Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, quam propria voluntas, et liberum arbitrium.* Certe non fit mens serva libidinis, aut cupiditatis comes, nisi per actum ipsum realem, et inde in ea resultat malitia moralis; ergo de illomet actu docet Augustinus Deum, qui per antonomasiam superior mens dici potest, non reducere nos in illam servitutem, quod certe faceret si hominum voluntatem ad amorem delectabilium prædeterminaret; unde in l. 3, cap. 2, ex eodem principio infert: *Restat igitur ut ejus* (id est, humanæ voluntatis) *sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem a creatore ad creaturam convertit; qui motus si culpæ deputatur, non est utique naturalis, sed voluntarius*; ubi illum motum, de quo dixerat non esse ex motione superioris mentis, a culpæ formalitate manifeste distinguit, cum illum ad culpam imputari dicit. Unde infra concludit: *Quid opus est querere unde iste motus existat, cum illum non nisi animi, et voluntarium, et ob id culpabilem esse fateamur?* Per quæ non excludit concursum Dei simultaneum ad talem actum, sed excludit talem influxum causæ superioris, ratione cujus potius illi, quam soli libertati voluntatis, adscribi possit talis motus. Et eodem sensu dixit lib. 12 Confession., c. 11, motum voluntatis, qui est delictum et peccatum, a Deo non esse.

5. *Ejusdem alia loca.* — Hinc aliis locis docet Augustinus nefas esse dicere malas voluntates ad Deum, tanquam ad auctorem, esse referendas; ita habet lib. 2 de Peccator. merit., cap. 19, ubi tractat locum Pauli 1 Cor. 4: *Quid habes quod non accepisti?* et refert expositionem Pelagianorum dicentium ideo dictum esse a Paulo, quia ipsum esse hominis et liberum arbitrium a quo sunt bona opera, est donum, et beneficium Dei, quam expositionem ipse reprobatur, quia alias etiam mala opera in Deum, ut auctorem, essent referenda, et propter ea etiam dici posset homini: *Quid habes quod non accepisti?* Quod profecto intelligit Augustinus non solum de actibus malis, ut mali sunt, sed etiam ut tales actus reales sunt, alias non satis gratiam Dei defenderet, nec Pelagio contradiceret. Igitur etiam de illis actibus, prout effectus reales sunt, absurdum putat Augustinus primam radicem et causam in Deum referre, sive tribuere quod nos faciat illos facere aut velle. Unde cap. 19 sub-

jungit : *Extolli in superbiam proprie voluntatis est hominum, non operis Dei, nec enim ad hoc eos compellit aut adjuvat Deus.* Similem doctrinam habet lib. de Grat. Christi, cap. 17, et sequentibus, ubi contra Pelagium dicentem bona opera tribui Deo, solum quia dedit potestatem bene operandi, infert similiter mala opera tribuenda Deo. Potestatem autem deficienti a se homo habet, quia est ex nihilo, ut in aliis locis passim docet idem Augustinus. Unde non satis contradiceret Pelagio, nisi de ipsis actibus realibus, qui sunt mali, doceret non posse ita tribui Deo sicut bonos. Et similem doctrinam habet lib. de Spir. et litter., cap. 34, ubi, ad reddendam rationem ob quam de bonis actibus recte dicitur : *Quid habes quod non accepisti?* et non de malis, constituit discrimen quod in bonis Deus agit ut velimus, non vero in malis. Quod ipse quidem declarat per gratiam excitantem, ut infra videbimus. Nunc autem contra eos qui putant illa verba ac similia dici propter physicam prædeterminationem, aperte convincimus, juxta mentem Augustini, talem prædeterminationem non posse in actibus malis constitui, alias etiam in illis ageret Deus ut velimus, quod Augustinus negat; ubi etiam obiter noto Augustinum reputasse necessarium, Deum non agere ut velimus, ut ei non possit attribui peccatum.

6. *Augustini vera doctrina in hac controversia.* — Quapropter in eodem sensu accipiendum est quod aliis locis Augustinus docet, Deum non esse auctorem omnium voluntatum, quamvis omnium potestatum auctor sit; sic ait lib. de Spir. et litter., cap. 31 : *Nunquam legimus in Scripturis : Non est voluntas nisi a Deo, et recte non scriptum est, quia verum non est, aliqui peccatorum etiam, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo :* quo in loco dici non potest Augustinum loqui tantum de voluntate mala formaliter, ut mala est, sed etiam de ipso reali actu voluntatis, quem malitia comitatur; distinguit enim voluntatem a peccato, et ex eo quod Deus non est auctor peccatorum, infert non omnem voluntatem esse a Deo; ergo, ne idem per idem probet, necesse est ut ab actibus voluntatis, ut reales actus sunt, ad peccata argumentetur. Ait ergo non omnes voluntates esse a Deo, quia Deus non immittit omnes voluntatis actus, nec facit eos facere, physice prædeterminando voluntatem, alias esset auctor peccatorum quæ per tales actus committuntur. Hæc ergo est mens et argumentatio Augustini, ut solida sit. Item cum de potestate et volun-

tate loquatur, oportet cum proportione de illis loqui; loquitur autem de potestate faciendi, sic enim omnis potestas est a Deo: nam, quatenus potestas deficienti, est ex nihilo, ut idem Augustinus libris de lib. Arb., et sæpe alias, docet, et exponit optime D. Thomas in 2, d. 37, q. 2, a. 1, ad 2. Ergo simili modo loquitur Augustinus de voluntate, quatenus est volitio aliquid faciendi, vel aliquid faciens, et sic dicit non omnem voluntatem esse a Deo, utique ut primo auctore movente ad illam, *quia alias, inquit, esset Deus auctor peccatorum.*

7. *Differentia inter potestatem et voluntatem quoad malitiæ originem.* — Est enim notanda differentia inter potestatem et voluntatem, id est, volitionem, quod ad potestatem non necessario sequitur malitia, sed potest sequi, non ex Deo, sed ex defectu hominis; ideo licet Deus sit primus auctor potestatis, non sequitur esse auctorem malitiæ. Ex volitione autem aliqua, inevitabiliter sequitur malitia, et ideo si Deus esset auctor talis voluntatis, consequenter etiam esset auctor peccati. Et hæc differentia aliter etiam notari potest, inter concursum generalem concomitantem et præviam determinationem: nam prior, quatenus ex parte Dei offertur, est tanquam potestas, et de se sufficiens ad bonum: unde licet ex defectu hominis, illo etiam possit uti ad malum, tamen ex vi modi quo a Deo offertur, non habet necessario adjunctam malitiam, ideoque licet per talem concursum Deus ad actum realem concurrat, non est auctor peccati, quia ex se non determinat arbitrium ad talem voluntatem: si autem ultra illum concursum prius determinat voluntatem ad actum, qui sine peccato fieri non potest, et hoc modo omnis voluntas esset a Deo, plane etiam peccata a Deo essent, ut optime colligit Augustinus, qui eandem habet doctrinam, lib. 15 de Civitat., cap. 9, ubi ait : *Deum esse datorem omnium potestatum, non voluntatum; et reddit rationem, quia aliquæ voluntates contra naturam sunt; quod verum est non solum de actibus voluntatis ut mali sunt, sed etiam, ut actus tales sunt, non dantur a Deo ut a primo determinante voluntatem ad illos, licet sine concursu illius non fiant.* Et optime hoc confirmat quod ait lib. 3 de liber. Arbitr., cap. 4 : *Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit auctor est, quod dicit propter præscientiam peccatorum, et verum non esset, si Deus prædeterminaret voluntatem ad actus peccatorum, quia tunc sicut præsciret illos actus esse futuros, ita*

esset auctor illorum, et in illis necessario præsciret malitiam quæ ab illis inseparabilis est, et sicut illam in ipso actu futuro præsciret esse futuram, ita illius auctor existeret, quia per consecutionem ad actum, cujus ipse auctor est, etiam illius auctor existeret.

8. *Alia loca Augustini.* — Præterea ejusdem sensus est argumentum quod ex eodem Augustino sumitur lib. 83 Quæst., q. 3, ubi ait, Deo auctore neminem deteriore fieri, quod probat quia *nullo sapiente auctore fit homo deterior; sed Deus est summe sapiens; ergo ipso auctore nullus fit deterior.* At certe si Deus est qui in momento humanæ deliberationis voluntatem hominis ad actum, quo infallibiliter peccat, prædeterminat, nullus negare potest quin Deo auctore fiat homo deterior, quia Deo auctore et primo motore, determinatur ad actum quo necesse est deteriore fieri. Unde statim in quæst. 4, quærens Augustinus quæ sit causa unde homo fit deterior, solum voluntati propriæ obediendo id esse dicit, quia Deus illi nullam vim infert, et tamen *bonorum causa est, utique præmovendo et instigando.* Quælibet autem alia causa exterior ad summum potest hominem suadere; *suasio autem non cogit invitum.* Unde concludit : *Ad eandem hominis voluntatem causa depravationis ejus redit.* Sentit ergo determinationem voluntatis ad volendum illud objectum, in quo depravatur, non Deo, sed soli voluntati esse tribuendam.

9. *Executiuntur loca Augustini ab adversariis allata.* — Denique nullibi Augustinus aliud de divina operatione in cordibus peccatorum significavit; solent enim in contrarium allegari aliqua Augustini loca, in quibus interdum dicit Deum operari in cordibus hominum, non solum bonas, sed etiam malas voluntates. Et lib. de Grat. et liber. arbitr., c. 20 et sequentibus, et lib. 5 contra Julian., cap. 3, ubi etiam ait Deum non solum per patientiam, sed etiam per potentiam interdum malos indurare; sed his et similibus locis, quæ satis vulgaria sunt, abutitur etiam Calvinus ad suam hæresim suadendam, immeritòque a Catholicis in præsentem causam afferuntur. Primo, quia Augustinus, nec de omnibus peccatis, nec de generali modo quo Deus influit in actus omnium peccatorum, loquitur, sed de quibusdam peccatis et effectibus eorum, quæ dicuntur esse pœnæ aliorum peccatorum, ut sunt illa quæ recenset Paulus ad Roman. 1 : *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, etc., et alia vulgaria de induratione, obcecatione et deceptione peccatorum, quæ*

Augustinus ibi copiose allegat. Secundo, quia modus ille causandi tales effectus malos, quatenus positivus esse potest, non est determinando voluntatem ex parte illius, sed ex parte objecti, et mediante intellectu, ut est evidens, tam in Scriptura quam in Augustino. Unde fit, tertio, ut non possint illa loca intelligi de propria et directa inductione ex parte Dei, alias Deus esset suasor et provocator ad malum ex parte objecti, quod viri catholici non admittunt.

10. *Communis expositio illorum locorum defenditur.* — Est ergo communis et trita expositio, hæc omnia intelligi posse vel permissive, seu negative, vel aliquid positive operando, vel mixtum. Primo modo, dicitur Deus tradere hominem in reprobum sensum, vel indurare, etc., quia prævidens lapsurum nisi subveniat, negat auxilium hic et nunc tali homini necessarium secundum Dei præscientiam; et quia hoc facit Deus certo judicio, et in pœnam, illam et permissio solet in Scriptura vocari præceptum, vel operatio Dei. Secundo modo, dicitur Deus aliqua positive operari, bona etiam conferendo, quibus prævidet hominem deteriore reddendum, non impulsu aut occasione data ex parte Dei, sed sumpta ex malitia peccatoris; et quia, non obstante hæc præscientia, Deus operari ac benefacere non desistit, dicitur quodammodo positive obdurare hominem, sicut exponit Augustinus ibi illud Psalm. 104 : *Convertit (scilicet Deus) cor eorum, ut odirent populum ejus, utique benefacendo populo suo: nam inde provocati Chananei ad invidiam, conversi sunt in odium in populum Dei.* Tertio, interdum permittit Deus demones gravissime tentare et decipere homines, et tunc inductio ad peccatum ex parte demonis est positiva et moralis, ex parte vero Dei tantum est permissiva, et ideo voco illam mixtam. Solet tamen Deo per exaggerationem tribui, quia posset impedire demonem, et non facit, in vindictam peccatorum, juxta illud Psalm. 77 : *Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos, quæ omnia sumpta sunt ex eisdem locis Augustini, et lib. 20 de Civit., cap. 49; et libr. 83 Quæstion., quæst. 68; et libr. 1 ad Simplicianum, quæst. 2, et epist. 105.*

11. *Confirmatur ex aliis Patribus.* — Et confirmari potest ex multis Patribus eodem modo similes Scripturæ locutiones exponentibus, præsertim Damasceno, libro 4 de Fide, cap. 20, ubi regulam ponit morem esse Scripturæ, ut Dei permissionem ipsius actionem

interdum appellet, quod multis exemplis demonstrat, et de eadem regula videri potest Gregor., lib. 25 Moral., cap. 9, alias 12, et homil. 11 in Ezechiel.; et Chrysostomus, homil. 67 in Joan.; et Origen., lib. 3 Periarch., cap. 1, et homil. 2 in libro Judicum. Multa etiam in eadem sententiam tradit Prosper in lib. ad objectiones Vincentianas, ubi specialiter in decima-sexta notanda sunt illa verba: *Qui a pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt, nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant; casuri tamen et recessuri ab eo qui falli non potest, præsciuntur. Quamdiu ita in oratione Dominica dicunt: Fiat voluntas tua, non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo ulla ratione factururus est, id est, ut cadant et ruant, hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatura libertas; et ad 13: Nefas est (inquit) Deo adscribere causas talium ruinarum, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscujusque meritis retributurus sit, nemini tamen, per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi; et infra concludit: Nec in tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit, cujus ope scimus multos ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos; quæ omnia, et alia multa quæ tam in illo libro, quam respondendo ad Gallos et Genuenses, dicit, nec in rigore vera esse possent, nec objectionibus satisfacerent, si Deus ad actum peccati, a quo malitia inseparabilis est, voluntatem prædeterminat, aut si voluntate absoluta ante omnem præscientiam futurorum hujusmodi actus prædefinisset. Sic enim peccata futura Deus in sua prædefinitione seu prædestinatione cognovisset, quod reprobat idem Prosper ad objectiones Gallorum, cap. 2, et sentit 15, ubi ait posse esse præscientiam sine prædestinatione, quamvis prædestinatio sine præscientia esse non possit; nam prædestinat Deus, quæ ipso auctore erant facienda, vel quæ malis meritis justo erant iudicio retribuenda, non vero quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Quarto, ex dictis colligi facile potest quid in hoc puncto D. Thomas senserit, nam de illo sicut et de Augustino P. Alvarez dixit suam sententiam esse expressam sancti Thomæ.*

## CAPUT XLIX.

QUID DE CONCURSU PRÆVIO AC PRÆDETERMINANTE AD ACTUM PECCATI DIVUS THOMAS SENSERIT.

1. *Testimonia sancti Thomæ ab adversariis adducta.* — Asserunt hujus prædeterminationis defensores sententiam illam esse expressam sancti Thomæ, et manifestissimis ejus testimoniis probari. Et imprimis inducunt illa quæ generaliter de concursu Dei cum causis secundis loquuntur, de quibus jam supra dictum est. Deinde addunt illa in quibus de causa peccati in particulari tractat, et inter ea potissimum refert P. Alvarez integrum articulum 2, in 2, distinct. 37, quæst. 2, ubi dicit clarissime D. Thomam docere suam sententiam, et tamen nullum verbum de prædeterminatione physica, imo nec de prævio influxu Dei in voluntatem prius natura quam actum peccati eliciat, in toto illo articulo invenitur; sed solum quod *quidquid est entitatis et boni in actu, a Deo procedit mediante voluntate.* Quod nemo est qui neget, cum ad id concursus generalis et simultaneus sufficiat. Sed instat, quia per illum concursum non influit Deus mediante voluntate; vult enim illud verbum, *mediante voluntate*, perinde valere ac, influendo prius in ipsam voluntatem, præmovendo illam; sed hoc voluntarium est, et sine fundamento, nihil enim aliud illo verbo significare voluit D. Thomas, quam quod communiter dicunt omnes, Deum operari mediis causis secundis effectus earum, quod verum est, ut supra dixi, non quia in illas agat, aut quia non immediatius quam illæ, sed quia cum illis, easque juvando operatur. Quia vero D. Thomas, in solut. ad 2 et 3, ait Deum in concursu ad actum peccati influere agenti posse et agere, et quidquid perfectionis in eo est, infert influere prædeterminando, quia alias non influeret agere. Sed hæc etiam illatio nullius momenti est, quia, ut supra etiam probavi, Deus per ipsum concursum simultaneum influit agere, et licet daret concursum prævium, per illum non per se influeret agere, sed principium aliquod, vel conditionem præviam ad agendum. Nec sunt dissimilia alia loca quæ dictus auctor allegat, ex quibus contrarium argumentum sumendum est, vel negativum, quia si rem tam gravem, tamque creditu difficilem docere voluisset, illam aliquando expressisset, vel saltem indicasset, ubi de causalitate Dei circa actum peccati tractat; nunquam autem quidpiam

insinuavit, ut ex dicto loco, qui dicitur esse potissimus, manifestum est; vel etiam sumimus argumentum positivum, non unum, sed plura, ut jam ostendimus.

2. *D. Thomas 1. 2, quæst. 79, artic. 1.* — Primo ergo exponendo doctrinam divi Thomæ 1. 2, quæst. 79, art. 1, ubi quærens an Deus sit causa peccati, distinguit duos modos quibus homo potest esse causa peccati sui, vel alterius, scilicet, *vel directe, inclinando voluntatem suam, vel alterius, ad peccandum, vel indirecte, etc.*, et utroque modo Deum non esse posse causam peccati. Omisso autem posteriori modo, de quo non est controversia, in priori considero vocare D. Thomam directam causam peccati, eam quæ inclinat voluntatem suam vel alterius ad peccandum. Certum est autem hominem non inclinare voluntatem suam vel alterius directe ad peccatum, ut peccatum est, sed ad illum actum humanum et realem, et sub aliqua ratione bonum, quia non intendit per se ac principaliter suam malitiam, seu aversionem, ut in 2, distinct. 37, in eadem quæst. 2, art. 2, ad 2, idem D. Thomas docuit. Idemque late docuerat quæst. 75, art. 1, et quæst. 3 de Malo, art. 2 ad 1. Ergo dicitur homo a divo Thoma directa causa peccati, quia directe inclinatur voluntatem suam ad actum qui talis est, ut in re non possit sine peccato fieri. Cum ergo subdit Deum non esse causam directam peccati, quia non inclinatur hominem ad peccandum, evidenter docet Deum non inclinare hominem ad actum illum realem quo peccat, et consequenter etiam docet, si ita inclinaret Deus voluntatem hominis ad peccandum, recte sequi illum esse causam directam peccati. At prædeterminare voluntatem ad talem actum, est directe inclinare illam, vel aliquid amplius; ergo si non inclinatur, multo minus prædeterminatur.

3. *Evasio ocluditur.* — Neque dici potest loqui D. Thomam de inclinatione morali, vel ex parte objecti, quia quando homo inclinatur voluntatem suam ad peccandum directe, non solum ex parte objecti, sed maxime ex parte voluntatis, ad actum peccati illam determinat; præsertim quia, ut supra dicebam, major et efficacior inclinatio est, determinatio ex parte potentiae, quam motio ex parte objecti. Unde concluditur argumentum, quia qui se determinat ad actum peccati, directe est causa sui peccati; et inclinando voluntatem alterius hominis esset directe causa peccati ejus, juxta discursum D. Thomæ; ergo si Deus prædeterminaret voluntatem hominis ad actum peccati,

esset directa causa peccati; ergo a contrario, cum D. Thomas colligit non esse Deum causam peccati directe, quia non inclinatur voluntatem hominis ad peccatum, plane sentit non inclinare nec præmovere ad actum peccati, ac subinde multo minus prædeterminare. Et hoc etiam convincit ratio D. Thomæ, quia Deus omnia convertit ad se tanquam in ultimum finem, et ideo impossibile est quod sit homini causa discedendi ab ordine qui est in ipsum; homo enim non discedit a Deo, nisi convertendo se ad commutabile bonum; ergo impossibile est quod Deus sit causa talis conversionis, inducendo, inclinando, vel prædeterminando voluntatem hominis ad illam. Accedit quod ibidem in solutione ad 1, locutiones Augustini et Scripturæ, quæ significant Deum aliquando inclinare corda hominum ad malum, exponit intelligendas esse negative, quatenus non impedit similes actiones, et eodem modo exponit excæcationem vel obdurationem; et in art. 3, ubi directe quærit an sit Deus causa peccati, dicit quidem esse causam, quoad generalem concursum; de prædeterminatione autem nec verbum aut indicium apud illum invenitur.

4. *Locus ex 1. 2, quæst. 80, art. 1.* — Atque hanc fuisse mentem suam declaravit idem divus Thomas, quæst. 80, artic. 1, ubi, ut probet Dæmonem non posse esse causam directam peccati hominis, sed tantum ex parte objecti per modum persuadentis, vel proponentis appetibile, sic inquit: *Peccatum actus quidem est; unde hoc modo potest esse aliquis directa causa peccati, per quem modum aliquis potest esse directa causa alicujus actus: quod quidem non contingit, nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati est voluntas, unde nihil potest esse directe causa peccati, nisi quod potest movere voluntatem ad agendum.* Sub quo principio sumit Dæmonem non posse interius movere voluntatem ad peccandum, et inde concludit non posse esse directam causam peccati, sed solum hominis voluntatem; nam de Deo supponit non esse, neque esse posse, quia licet interius possit inclinare voluntatem ad volendum, non tamen ad talem actum. In quo toto discursu distinguit D. Thomas inter peccatum et actum ejus, et illum dicit esse causam peccati directe, qui interius inclinatur voluntatem hominis ad talem actum, quam inclinationem soli voluntati tribuit, et negat Dæmoni propter impotentiam ejus, et Deo propter bonitatem ejus: inclinatur